

populorum subitanea dispersione. Primum itaq; peccatum fuit, ut præcedenti §. diximus, qvod voluerint sibi comparare nomen. Nomen quidem & famam qværere & ambire per se non est malum aut illicitum, sed debito illud fieri debet modo. Honor namq; & gloria Dei ante omnia, & primò omnium nobis debet esse proposita. Hi verò filii hominum propriam qværebant gloriam, & tantummodo ad pompam turrim illam ædificabant, ut posteris suis essent admirationi. Negligeabant cœlum & immortalitatem qværebant in terris.

§. 39. Alterum consistebat in eo, qvod voluerint stabilire suam conjunctionem, & præcavere dispersionem. Qvæ voluntas horum fabrorum voluntati Dei & eorum prudentia Dei sapientiæ & ordinationi repugnabat. Deus enim volebat eos dispergi per terram, eosq; eandem implere, sicut in ipso statim rerum primordio dixerat: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam &c. Gen. I. 28. qvod ipsum etiam post diluvium repetit atq; renovat. Huic Numinis præpotentis fato & decreto reluctabantur Babylonicae molis conditores suis rationibus, consiliis & voluntatibus: è qvibus proinde varia emergebant peccata, qvibus se homines isti contaminarunt, & Deum offenderunt. Superbia animi. Ambitio, Dei neglectus & contemptus, Labor irritus & inutilis, aliaq;.

§. 40. Quinam autem autores & architecti famosí hujus operis fuerint, Scriptura tantum implicitè commemorat, qvando dicit: civitatem & turrim ædificasse Filios hominum. Ubi per eos intelliguntur impii, profani, qui terrena tantum sapiunt; sicut contra cap. 6. v. 2. filii Dei, pii seu filii sanctorum Patriarcharum, qui ad veram & non Cainicam Ecclesiam pertinebant, appellantur. Et hi præipue fuerunt posteri Cham, qvorum ἄρχοδιώκτης & Antesignanus fuit Nimrod; ita tamen, ut ex cæteris Japhetis & Schemi familiis non paucos qvoq; ad se fortè contra ipsorum voluntatem pertraxerit. Colligi hoc posse videtur ex eo, qvod Gen. X. 9. 10. dicitur, eum potentem venatorem fuisse coram Domino: principiumq; regni ejus fuisse Babel, Erech & Achad &c.

§. 41. Cajetano tamen contrarium allubefcit, qui Nimrodum non condendæ Babylonis, sed ejus jam conditæ primum regnatorem fuisse asserit, qvem tamen refutatum vide apud Pererium. Volunt & Abulensis, Myricæus, Cornelius à Lapide & qvamplurimi alii, Noachum qvoq; & Eberum pates suscepisse operas, sed pro nobis respondet Mayerus Philol. S. Part. II. p. 338. seqq. Absurdum namq; est Viris Deo dilectis hanc inobedientiæ maculam inuercere, citra evidens aliquod Scripturæ testimoniis.